

cuis Coemeteriorum, et Ecclesiarum Sepulturis: Sed ut pro illis in Parochialibus Ecclesiis, aut illarum Coemeteriis, quatenus commode fieri potest, speciales, et separatos ab aliis loculis, et sepulturas habeant, seu fieri curent, in quibus non sepeliantur, nisi qui baptizati fuerint Infantes, vel Pueri, qui ante annos discretionis obierunt.

4 Quod si in Ecclesia construi nequeat locus, et ideo in Coemeteriis sepelienda sunt hujusmodi cadaverula, debet servari locus sejunctus a communibus sepulchris, seu foveis, ne ossa misceantur.

5 Hujusmodi sepulchra Infantium, *Subgrandia* dixerunt Veteres, si nondum quadraginta dies compleverint, cum nec busta dici possent, propterea quod ossa, quae comburerentur, non essent; nec tauta magnitudo cadaveris, qua locus tunc ceret, *Lavor. T. 2. cap. 11. num. 120.*

6 Sed regula haec suas limitationes patitur; nam in sepulchris majorum suorum sepeliri possunt Infantes, etiamsi Ecclesia sit Regularium, dummodo ibi Pater elegerit sibi sepulchrum, *Barb. Collect. verb. Parvulus. S. C. Concilii in una Novar. funerum 15. Martii 1704. cap. licet Pater, de sepulturis in 6. et ibi gloss. apud Pignatell. E. 7. Cons. 21. n. 1.* Non vero si Sepulchrum fuerit haereditarium; juxta distinctionem *Ursayae T. 3. p. 1. d. 23. per tot.*

De aetate, et annis discretionis, et de rationis usu diximus in *Tit. de Sacram. Extr. Unc. §. 5. et 9.* ad quem locum remitto Lectorem.

§. II. In funere Parvulorum ut plurimum non pulsantur Campanae; quod si pulsantur, non sono lugubri, sed potius festivo pulsari debent.

8 Vel silent in hoc casu Campanae, vel festivo tinnitu pulsantur, ad denotandam laetitiam pro salute certa Animae Parvuli defuncti; non vero ad orandum, seu convocandum Populum, ut oret pro eis; quia, ut dixi superius; Talium est Regnum Caelorum, *Samuel. Tr. 2. contr. 4. concl. 8. n. 14.*

## ORDO

# SEPELIENDI PARVULOS.

## TITULUS DECIMUS QUARTUS.

### SUMMARIUM.

- 1 Discrimen inter Infantem, et Puerum.
- 2 Ante usum rationis intelligitur ante septennium,
- 3 Potest dari casus, in quo malitia suppleat aetatem.
- 4 Infantes vestiuntur albo colore.
- 5 Crux cerea in manu Infantes poni solet.
- 6 Corona de floribus ponenda in capite Infantium.
- 7 Tumulus infantium floribus aspergebatur.
- 8 Adulti cum fasciculo florum in manibus exponuntur.
- 9 Etiam si sint decrepiti, dummodo non nupserint.
- 10 Ratio Coronae de floribus.
- 11 Stola Sacerdotis sepelientis albi coloris esse debet.
- 12 Crux sine hasta est deferenda.
- 13 Quare crux sit brevis?
- 14 Psalmi qui cantantur, omnes sunt laudis, et laetitiae.
- 15 Dicitur *Gloria Patri*, in sine Psalmorum.

Indiget peculiari praxi Sepultura Infantium, atque ideo Rituale nostrum, post Regulas Generales, in antecedenti Titulo praescriptae, descendit ad instruendum Parochum, seu quemcumque alium Sacerdotem, de ordine servando in sepeliendis istis Parvulis, qui licet in Ecclesia Dei nihil laboraverint, attamen peculiare animadversione digni sunt.

§. I. Cum Infans, vel puer baptizatus, defunctus fuerit ante usum rationis, induitur juxta aetatem, et imponitur ei corona de floribus, seu de hervis aromaticis, et odoriferis. in signum integritatis carnis, et virginitatis. Et

Parochus superpelliceo, et stola alba indutus, et alii de Clero si adsint, praecedente Cruce, quae sine asta defertur, accedunt ad domum defuncti cum Clerico aspersorium deferente. Sacerdos aspergit Corpus, deinde dicit Antiphonam, *Sit nomen Domini, etc.* Ps. *Laudate Pueri.*

1 Inter Infantes, et puerum hoc currit discrimen, quod Infans dicitur ille, qui noviter natus est, es Neonatus appellatur; adeo ut etiam talis nominetur qui nondum natus sit, et adhuc in utero Matris clausus existat, juxta illud Lucae c. 1. *Exultavit Infans in utero ejus.*

Puer vero dicitur qui non amplius fasciis involutus est, et de se ambulat, loquitur, et alia facit hujusmodi, usque ad septimum annum. Plura de his indicat Castejon, *Alphab. Jur. verb. Infans*; et quando quis dicatur proximus Infantiae, et pubertati, late docet Menoch. *de Arbitr. Cas. 57. n. 9. et seqq.*

2 3 *Ante usum Rationis.* Communiter intelligitur ante septennium, ut dictum fuit in explicatione *Tituli de Extr. Unct.* §. 5. et 9. dari tamen potest casus, in quo malitia suppleat aetatem.

4 5 Mortuo igitur Infante, curandum venit de ejus sepultura. Communiter in usu est primo illos sive Masculos, sive Foeminas induere vestibus albi coloris, usque ad pedes cum Udonibus, seu pedulis lineis, vel sericis ejusdem coloris acuminatis; quae vestes stellulis deauratis notari solent, praecipue in fimbriis, et oris, quae ex parvo feretro, seu pulvinari pendere solent ex utraque parte, seu latere. In una manu Infantis solet poni parva Crux, quae ut alba sit, ex cera componi solet, et varie ornari, seu pingi, et inaurari.

6 7 Insuper Corona de floribus ejus caput redimiri solet. Quicumque flores, seu veri, seu ficti valent ad componendam hanc coronam, sicuti et quaecumque herbae odoriferae, et aromaticae quando haberi possint. Antiquitus condito, et curato funere, solebant nonnulli Tumulum floribus aspergere, S. Ambrosius, *Orat. funebr. de obitu Valentini*, ait: *Non ego Floribus Tumulum ejus aspergam, sed spiritum ejus Christi odore perfundam;* Et S. Hieronimus, *ad Pammac. de obitu Uxor.* inquit: *Caeteri Mariti super Tumulos Conjugum spargunt Violas, Rosas, Lilia, Floresque purpureus,* Casal. *d. cap. 66.* Quod licet Adultis factum fuisse ostendatur, multo magis faciendum hoc erit Infantibus, et Pueris, qui innocentes obdormierunt in Domino.

8 9 Consuetudo est etiam, Coronam de Floribus compositam in Capite, et Fasciculum Florum pariter in manu ponere Adultorum Laicorum, in quacumque aetate quamvis decrepi-

ta decesserint, dummodo notum sit hujusmodi defunctos a conjugio matrimoniali se abstenuisse, et a vinculo solutos usque ad mortem perdurasse: tales enim Personae, cujuscumque generis sint, praesumuntur esse virgines, atque ideo laureola virginali eas ornari posse ducit Ecclesia: nam Virginitas est qualitas naturalis, quae Homine sequitur, ideoque debet praesumi, ut docet Alciat. *de Praesump. reg. 3.* Menoch. *de praesump. l. 6. praes. 89. n. 1.*

Ne mirentur igitur Fideles, si Cadavera Hominum ad ultimam senectam perventorum, Floribus redimita, et ornata intueantur; quia Virginitas hoc honore associanda est, non tantum in iis, qui Virginitatem amittere non potuerunt, prout sunt Infantuli, sed etiam, et multo magis in illis, qui potuerunt facere mala, et non fecerunt, atque ideo Coronam, et Palmam majorem meruerunt.

10 Ratio causalis hujus Coronae, et hujusmodi Florum ponitur ab ipsomet Rituali, dum dicit: *In signum integritatis carnis, et virginitatis.* Sed aliam assignat rationem Lavorius *d. Tit. 2. c. 1. n. 116.* nempe, ut in memoriam revocent aevi hujus parvitatem, juxta Plin. *l. 21. c. 1.* Quia spectatissime florent, et celerrime marcescunt: et sic Infantibus praecipue conveniunt: qui usus videtur a Graecis originem traxisse *Scholiast. Europ. Phaeniss.*

11 12 13 Crux in funere Parvulorum e digna inspectione est, nam sine hasta defertur ad distinctionem Funerum pro Adultis, sicuti color albus in stola ad demonstrandum Virginitatis candorem. Crux itaque pro Parvulorum funere sine hasta defertur, quia cum Crux, (ut jam alibi diximus) quae in Processione defertur, significet Ecclesiam in hoc Mundo peregrinantem, et militantem cum Vexillo Domini, et Ducis sui, non omnino hoc verificatur in Infantulis, qui per brebissimum temporis spatium militiam, seu peregrinationem in hoc Mundo sustinuerunt: ideo brevis est Crux, quia breve fuit eorum iter super hac Terra.

14 15 Psalmi, qui in sepeliendis Parvulis cantantur, omnes sunt laudis, et laetitiae, propter innocentiam Defuncti, quae merore non indiget: Quapropter in fine illorum non dicitur *Requiem aeternam, etc.* quia jam Requie aeterna illorum Animae fruuntur; sed *Gloria Patri, etc.* quia cum Patre, et Filio, et Spiritu Sancto vivunt in Coelis.

Atque hic sit finis explicationis Rubricarum de quibuscumque Exequiis.